



45

DISPUTATIO PUBLICA  
De  
CONVERSIONE HO-  
MINIS AD DEUM,

*De cuius thesibus, adjuvante Spiritus Sancti  
gratiâ, in inclyta Academia VVIT-  
TEBERGENSI,*

SUB PRÆSIDIO

FRIDERICI BALDUINI,  
S. Theol. Doctoris, ac Professoris, Pastro-  
ris ibidem & Superintendentis,

*Pro Licentiâ consequendi gradum Doctoratus,  
Respondet*


M. NICOLAUS HUNNIUS  
Marpurgensis, *Ægidii Hunnii* p. m. filius,  
Ecclesiæ Eilebergensis Pastor &  
Superintendens.!

*Addiẽm 3. & 4. Septemb. horis usitatis.*

VVITTEBERGÆ,

Ex officina Iohan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.



DISSERTATIO PUBLICA

DE  
CORRECTIONE H. O.

MINISTRII P. O. U. L.

DE  
CORRECTIONE H. O.  
MINISTRII P. O. U. L.



DE  
CORRECTIONE H. O.  
MINISTRII P. O. U. L.

DE  
CORRECTIONE H. O.

DE  
CORRECTIONE H. O.





Σὺν Θεῷ.

De

# CONVERSIONE HOMINIS AD DEUM.

## Thesis I.



Onversio, *ἄπιστοφία*, prout hic accipitur, vox Biblica est, & vix alibi reperitur in Novo Testamento, quam *Actor. 15, 3.* ubi Apostoli dicuntur narrasse *ἄπιστοφίαν τῶν ἐθνῶν* conversionem gentium. Hebraeis *השׁוּבָה* reditus vocatur, cui opponitur alterum *מְשׁוּבָה* abitus seu averfio: cujus utriusq; vocis emphasis in hoc articulo, exprimitur *Ier. 3, 22. Convertimini filii averfi, & sanabo averfiones vestras.*

II.

Quando ergo de conversione hominis ad Deum agitur, ipsa vox notat, hominem aliquando à Deo recessisse, viamq; regiam mandatorum divinatorum deseruisse, ad quam conversione sua redit; ab errore in viam, à mendacio ad veritatem, à Diabolo ad Deum revocatus.

III.

Hinc triplex fit consideratio hominis jam post lapsum; in Averfione, in Conversione, in statu Novitatis; hoc est, Ante, In, & Post conversionem suam: in quibus singulis, quomodo homo sese habeat, paucis dispicere placet, ita totum negotium conversionis facilius erit, ex quo summa hominum imbecillitas, & maxima Dei erga nos bonitas innotescet.

A 2

4. Ut



## IV.

**CAP. I.**  
*Consideratio*  
*hominis Ante*  
*conversionem.*

Ut igitur ab eo, quod omnium primum est, fiat initium, *ante* conversionem in homine mera est à Deo aversio, quæ horribilem omnium virium corruptionem; in humanis imbecillitatem; in divinis impotentiam; quin & rebellionem adversus Deum & mandata ejus, & hinc subsequenter maledictionem infert, nisi subsequatur reditus ad Deum.

## V.

*Thesis sane do-*  
*ctrinae in hoc*  
*Capite.*

Quæ tristissima hominis nondum conversi conditio ut ex-  
 ãe cognoscatur, distinctè considerandum est, quid ei & conce-  
 datur & negetur. Certum enim est, ante lapsum negata homini  
 fuisse omnia, quæ naturam destruunt; concessa iridem omnia, quæ  
 in hominem summè perfectum cadere possunt: jam verò destrua-  
 tã integritate primæ vâ per lapsum, quæ naturâ noxia & Deo ad-  
 versa sunt, summo, proh dolor, in gradu reperiuntur; quæ verò  
 salutaria; vel languida, vel planè nulla sunt.

## VI.

Languida sunt ea, quæ ex imagine Dei in homine adhuc sunt  
 residua: nulla verò prorsus, quæ vel ad operandam, vel ad coope-  
 randam conversionem ac salutem nostram faciunt, qualia sunt, af-  
 sensus mentis internus in rebus fidei, agnitio Christi salutaris, fi-  
 des, intellectus mysteriorum divinatorum, & quæ sunt similia.

## VII.

Residua post lapsum sunt vel politica vel spiritualia. *Politica*  
 res hujus seculi concernunt: ut, quod ingeniosè multa excogitan-  
 tur, & per rationis discursum aprè concluduntur: unde extiterunt  
 non modò artes liberales, sed & mechanica, & quamplurima ar-  
 tificum inventa, quæ arguunt scintillam aliquam concreata lucis.

## VIII.

Huc pertinet discrimen honestorum & turpium, quod in  
 non conversis esse, nemo negat: unde extiterunt præclara morum  
 præcepta, leges & statuta Rerum publ. laudabilia, præmia quoq;  
 & penæ dictatæ vel observatoribus vel transgressoribus legum:  
 quæ omnia radium quendam non obscurum supremi illius Le-  
 gislatoris, ejusque, quæ humanæ naturæ indidit, imaginis, re-  
 præsentant.

o. Refe-

## IX.

Referenda etiam huc est prudentia ac industria hominum in rebus humanis, qualis in mercatoribus, agricolis, opificibus, & quibuscunq; secularibus aliis reperitur, de quibus Siracides: *Vnu- quūq; in sua arte sapiens est, Sir. 38. 35.*

## X.

Etsi enim similis interdum industria ac sagacitas reperitur in nonnullis brutis: in his tamen id non est ex deliberatione aut electione voluntatis, neq; etiam ex singulari aliquo discursu, sed ex naturali duntaxat instinctu, seu, ut breviter dicam, ex iudicio quidem aliquo, sed non libero. Et sic se habent politica.

## XI.

*Spiritualia* sunt de iis rebus, quæ ad Deum pertinent, qualis est cognitio Dei, & obedientia legis divinæ: quorum utrumque Scriptura non-conversis tribuit: illam *Rom. 1. 19. τὸ γνωστὸν Θεῶν* manifestum est illis, &c. hanc *Rom. 2. 14. gentes naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, & ostendunt, opus legis scriptum esse in cordibus suis: & de se nondum converso scribit Philip. 3. se secundum iustitiam, quæ in lege est, conversatum fuisse sine querela.*

## XII.

Huc pertinet externa illa pædagogia, quod homo ex suis visibus desiderium aliquid habere potest rerum cælestium, ingredi potest templum, audire verbum, & quidem cum studio aliquo: hæc enim omnia Scriptura etiam non renatis tribuit, quemadmodum Christus dicit: *multi QUÆRENT intrare (ecce desiderium) & non poterunt Luc. 13. 24. & Amos de non renatis, CURRENT à mari ad mare & ab aquilone usq; ad orientem circuibunt, QUÆRENTES Verbum Domini, & non invenient, Amos 8. 12.* Hic habes desiderium & studium simul, quærunt enim, & currunt propter Verbum Domini.

## XIII.

Si petis exempla, de Paulo Sergio Proconsule expressè scriptum est, quod accessiverit Paulum & Barnabam ad se; *desiderabat enim ex iis audire sermonem Domini Act 13. 7.* Sic & Felix præses Iudææ audivit à Paulo fidem Jesu Christi, licet non assentiretur, *Act. 24. 24.* & de Herode refert Marcus, quod Johannem Baptistam libenter, *ἠθέλω, audiverit, Marc. 6. 20.*

## XIV.

Hinc est illud Augustini de fide ad Petrum cap. 32. *Firmissimè gene, & nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas vel adversitas, verba Legis & Evangelii sive legere, sive ex prædicatoris ore audire: Sed ut, quod audit corpore, corde etiam percipiat, & accepta divinitus bona voluntate facere velit & possit, neminem posse, nisi quem Deus gratiâ sua prævenit.*

## XV.

Quicquid autem in his omnibus homini tribuitur, id in se se mutilum, mancum, languidum ac imperfectum est, id quod in actionibus civilibus experientia testatur, & Scriptura ex hoc ipso imperfectionem actionum spiritualium colligit. Ita enim Sapiens: *Difficile estimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore: quæ autem in cælis sunt, quis investigabit? sensum autem eorum quis sciet, nisi tu de deus sapientiam & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimi Sap. 9, 16.*

## XVI.

Sic, noticia Dei in ipsis neq; perfecta, neq; salutaris esse potuit, quia neq; verum Deum agnoverunt, neq; ut Deum coluerunt, sed ex defectu notitiæ revelatæ inciderunt in horrendam idololatriam, mutantes gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, volucrum, quadrupedum & serpentum Rom. 1, 23.

## XVII.

Quin &, ut Augustinus loquitur libr. de vera relig. cap. 1. *gentiles sacra & templa habebant communia, & tamen de diis & religione dissidentes habebant opiniones.* Aliud igitur profitebantur publicè, aliud defendebant privatim. imò quò quis erat sapientior, eò ferè erat in religione supersticiosior: quo nomine inprimis Socratis & Platonis Philosophiam insectatur Euseb. lib. 13. de præparat. Evang. c. 8.

## XVIII.

Languida & imperfecta quoq; fuit omnis ipsorum obedientia. Nam etsi in quibusdam rebus ductu luminis naturalis secundum virtutem vixerint: non tamen erat ibi consummata virtus, quæ ne quidem in renatis reperitur: imò neq; conferenda ipso-

rum



rum virtus ad obedientiam renatorum; *partim*, quia non ex fide erat, *partim* quia à personâ nondum reconciliatâ prodibat, *partim* etiam quia non ad Dei gloriam referebatur: tantum abest, ut perfectionis ullius laudem obrinere potuerit.

XIX.

Debilis etiam & imperfecta est illa externa pædagogia, quæ homo suis viribus quærit ac desiderat audire verbum. Etiam si enim studium aliquod adhibear, illud tamen studium non est veritatis, sed novitatis; sine assensu, sine fiducia, sine vero motu cordis, qui Deo placere possit. Hæc enim omnia non à lumine naturæ, sed à Spiritu sancto accenduntur.

XX.

Proinde, neq; notitia illa Dei, neq; studium obedientiæ, neq; etiam externus ille auditus verbi ex parte nostra quidquam facit ad conversionem hominis; non saltem propter varios defectus & imperfectionem istam: sed & propter illam repugnantiam, quæ homini post lapsum naturâ inest adversus Deum. Utrumque enim Scriptura tribuit homini non converso; *ἀδυναμία* in promovenda conversione; & *δυσανω*, quin & promittudinem in eâ impediendâ: idq; juxta duas principales facultates animæ, intellectum & voluntatem, seu, ut Scriptura loquitur, Mentem & Cor hominis.

XXI.

Mentis *ἀδυναμία* describitur iis Scripturæ dictis, quæ hominem non conversum tenebras vocant *Ioh. 1, 5. Eph. 5. vanitatem Eccl. 1. Psal. 62. insipientem Psal. 14. quæ omnem in ἀνομίᾳ* in rebus divinis ex seipso adimunt *2. Cor. 3, 5. quæ ipsum in vanitate mentis suæ ambulare dicunt, obscuratum habentem intellectum propter ignorantiam, quæ est in natura ejus Eph. 4, 17, 18.*

XXII.

Vires mentis reluctantis ex se operationi Dei, & impediendis opus conversionis depinguntur illis Scripturæ locis, quæ testificantur, sapientiam Dei esse animali homini stultitiam *1. Cor. 1, 21. 2, 14.* quæ docent, homines repellere verbum & aspernari consilium Dei adversus seipso, *Luc. 7 Act. 13. prudentiam carnis esse stultitiam adversus Deum, Rom. 8, 6, 7. Unde fit, quod homini sibi relicto verbum Dei sit odor mortis ad mortem 2. Cor. 2, & quo diligenti-*

gentius illud meditatur, rationis suæ ductum secutus, eò profundius in errorum abyssum incidit, sæpè etiam ex auditu verbi deterior evadit, quod Pharaonis exemplum testatur.

XXIII.

Quo in genere indefessam impendit operam juratus ille generis humani hostis, qui efficax est in filiis incredulitatis, & excecat corda infidelium, ne illucescat eis lumen Evangelii gloriæ Christi 2. Cor. 4, 4. qua ratione intellectum hominis per se caliginosum magis magisque obtenebrat, & ad excogitandas vanitates adversus Deum & mysteria ejus, acuit.

XXIV.

Hinc firmissimè concludimus: Ubi non modò nulla vera est notitia mysteriorum cœlestium, sed & summa repugnantia, faciens ex sapientia Dei stultitiam, ibi nihil prorsus est, quod conversionem hominis vel incoer, vel adjuvet, vel perficiat. Sed ira sese habet mens hominis non conversi. Ergo nihil est in mente ejusmodi hominis, quod conversionem ejus vel incoare, vel adjuvare, vel perficere possit.

XXV.

Idem de voluntate seu corde hominis conceptis ferè verbis affirmat Scriptura *Ier. 4, 22. Filii insipientes & vecordes sunt: sapientes sunt, ut faciant mala; hæc est cordis non renati durities; bene autem facere nesciverunt; hæc est ejusdem cordis aduravitia in rebus divinis.*

XXVI.

Hanc cordis *aduravitiam* describit Scriptura illis dictis, quibus vocat cor lapideum *Ezech. 36, 26. lutum in manu figuli Esa. 45, 9. Ierem. 18, 6. & hominem in peccatis mortuum Eph. 2, 1. quando item testatur, hominem non conversum legi Dei non esse subiectum, & nec posse quidem subjici Rom 8, 7. omnes detlexisse, simul inutiles factos esse omnes, non esse, qui faciat bonum, ne unum quidem Psal. 14, & 51. Rom. 3.*

XXVII.

Quæ verò sint vires cordis Divinæ voluntati reluctantes, Scriptura quoq; non reticuit, quando affirmat, omne figmentum cordis tantum malum esse ab adolescentia *Genes. 6, 5. 8. 21. cor hominis pravam esse Ierem. 17, 9. vel, ut rectius, secundum fontes primi.*

primitur, argutum, dolosum atq; fraudulentum: quando etiam  
hominem inimicitiam vocat adversum Deum *Rom 8, 7.* illud enim,  
φρόνησα σαρκός, generale est, notans tam cogitationes mentis,  
quàm consilia cordis.

XXVIII.

Et hic etiam laboriosus est spiritus nequam, qui voluntatem  
hominis in sese malam pejorem reddit, dum flammam cupiditatum  
auget, varia objecta objicit, quibus abripitur voluntas hominis in  
præceptis, & homines ipsi redduntur ἀπληγότες, qui seipso tradunt  
protervia in operationem omnis immunditiæ, *Eph. 4, 19.* De  
his scribit Apostolus, quod captivi teneantur laqueis Diaboli ad  
ipsius voluntatem, *2. Tim. 2, 26.*

XXIX.

Hinc iterum satis firmiter inferimus: Ubi nihil prorsus viri-  
um est faciendi ea, quæ legi Dei sunt congrua, sed potius summa  
adversus Deum inimicitia & rebellio, ibi nullum est conversionis  
nostræ auxilium. Atqui in voluntate seu corde hominis non re-  
nati reperitur ejusmodi ἀδυναμία inserviendi Deo, & rebellio ad-  
versus Deum. Ergo in corde hominis non renati nihil est, quod  
conversionem sui quoquo modo juvare possit,

XXX.

Quæ cum ita sint, de toto homine ante conversionem con-  
siderato, rectè dicimus, quod servus sit peccati, hostis Dei, filius  
iræ, qui ex seipso neq; de conversione sui est sollicitus, neq; ad  
promovendam illam idoneus, sed infanti in spelunca nato & edu-  
cato similis, qui neq; de rebus mundanis quidquam audivit, nec  
eas nosse saragit, quo simili D. Gregorius utitur *lib. 4. dial. cap. 1.*

XXXI.

Inde factum, quod Nicodemus de sui conversione non mo-  
dò nihil intelligebat, sed & fieri eam posse, credere volebat, *Ioh. 3.*  
In quam sententiam D. Cyprianus etiam in Epistola ad Donatum  
ingenuè fatetur, se sui conversionem primùm non credidisse, do-  
nec renaſcentiæ beneficium acceperit, tantùm abest, ut vel de præ-  
paratione vel de cooperatione quidquam potuerit gloriari. *libr.*  
*2. Epist. 2.*

B

32. Ego

Ego (inquit) cum in tenebris atq; in nocte cæcâ jacerem, cumq; in sæ-  
 culo factantis sæculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, vi-  
 ra mee nefcius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsum ac durum pro illis  
 tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia polliceba-  
 tur, ut quis renasci denud posset, utq; in novam vitam lavacro aquæ salutaris  
 animatus, quod prius fuerat, exponeret: corporis licet manente compage, ho-  
 minem animo ac mente mutaret. Qui impossibilis a se habet tanta conversio est,  
 ut repente ac perniciouser exuatur, quod vel geminum situ materia naturalis  
 obduruit, vel usarpatum diu senio vel usuratis inolevit.

## XXXIII.

Et paulo post. Postquam calitus hausto spiritu in novum me hami-  
 nem natiuitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se  
 dubia, patere clausa, lacere tenebrosa, facultatem dare, quod prius difficile  
 videbatur, geri non posse, quod impossibile putabatur, ut esset agnoscere, terre-  
 num fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium vixisset, Dei esse ce-  
 pisse, quod jam Spiritus Sanctus animaret.

## XXXIV.

*Antithesis, seu  
 doctrina erro-  
 nea in hoc Ca-  
 pite.*

Talis ergo homo est ante conversionem in suis viribus con-  
 sideratus, quemadmodum eum Scriptura satis luculenter descri-  
 psit. Duo tamen sunt Adversariorum cornua, qui huic doctrinæ  
 dicam scribunt: unum eorum, qui libertatem actionum viribus  
 humanis etiam in civilibus præcindunt: alterum eorum,  
 qui vires illas naturæ corruptæ nimis extendunt, quasi illæ conver-  
 sionem hominis suo quodam modo adjuvare possint.

## XXXV.

*Stoici.*

In primo agmine sunt Stoici, qui *diverſes* sive Fatum suum  
 urgebant, & hominis voluntatem, etiam in externis politicis ope-  
 ribus, nullam omnino facultatem habere, imò hominem ad exter-  
 na scelera, libidines, rapinas, cædes, & id genus flagitia alia, vio-  
 lenter cogi contendebant. Contra quos D. Augustinus in primis  
 disputat *lib. 5. de civit. Dei cap. 8. & sequentibus.*

## XXXVI.

*Calviniani.*

Stoicis adjungimus Calvinianos, qui & libertatem volunta-  
 tis in rebus civilibus negant, & speciali motioni Dei omnia, ne  
 quidem peccatis exceptis, accepta ferunt. Ita enim Calvinus *lib. 2.  
 instit.*

instit. cap. 4. §. 7. *Velis, nolis, animum tuum à motione Dei potius, quam ab electionis tue libertate, in actionibus civilibus pendere quotidianis experientia te reputare coget, & §. 6. arbitrium non renati hominis specialiter motioni Dei subicit, Similia habet lib. 1. cap. 16. §. 8.*

XXXVII.

Et hanc Dei motionem non modò ad actiones in sese bonas, sed & ad peccata ipsa detorserunt: Ita enim Zwinglius lib. de providentia capit. 6. *Noli consistere, posse aquam dixisti, providentia movit latronem, perge ultra, & dicit, Movit latronem, ut & judicem in latronem moveret. Consentit Spindlerus de provid. pag. 186. si spectetur Iudas proditor, quatenus Dei decreto & consilio subjacet, necessario debuit Christum prodere, neq; aliter fieri potuit, quàm fecit: siquidem ad hoc opus parandum, causa erat destinata.*

*Similia vide apud Zanch. in volum. tract. Theol. lib. 1. cap. 6. thes. 1. de liber. arbit. fol. 80. Rennech in Aur. car. fol.*

XXXVIII.

Sed impietas hujus erroris rerunditur iis Scripturæ locis, quibus hominibus non renatis tribuitur potestas liberè faciendi aut emittendi ea quæ legis sunt Rom. 2, 14. Zelus quidam religionis, qui libertatem aliquam electionis infert Rom. cap. 10, 2, ut & accusatio & defensio mutua cogitationum Rom. 2, 15. quæ non est in eo, quod coactè sit. 2. refellitur etiam iis dictis, quibus homo dicitur resistere & contradicere Spiritui Sancto Act. 7, 51. Esa. 65, 2. quod cerrè à singulari impulsu & motione Dei non est. Is enim sibi ipsi non resistit vel contradicit. 3. & deniq; refutatur iis omnibus, quæ Deum ab omni vel voluntate vel approbatione peccati absolvunt: quomodo enim Deo non approbante fierent, quæ ipso specialiter movente & impellente fieri dicuntur?

XXXIX.

Movet utiq; Deus hominum voluntatem, sed, non ut truncum aut lapidem, verùm ita, ut naturam proprios suos motus liberè exercere sinat, dicente Augustino lib. 7. de civit. Dei cap. 30. Unde fit, quod homo, dum movetur ad bonas actiones, resistit; non ex impulsu quodam Dei, (hic enim ad contrarium movere voluit) sed ex propria voluntatis malitiâ, qua malum eligit, ad quod naturâ fertur, relicto bono, ad quod à Deo ducebatur.

XL.

Vicissim, dum bonum aliquod appetit, utiq; hoc Deo movente

B 2

facit,

facit, sed non violenter impellente, ira, ut homo contrarium face-  
re non possit; sed ex libera electione, ubi recta ratio jam vicit vi-  
tiosam naturam, & motui divino obsequentem reddidit volunta-  
tem.

XLI.

Nullus itaq; hic impulsus est necessitatis: sed, ut præclare lo-  
quitur Cyrillus libr. 9. in Johan. cap. 10. *rationali creaturæ liberam po-  
restatem creator largitus est, & suæ voluntatis habenas unicuiq; commisit, ut  
in eo sit, quidquid probaverit eligere.* Et ut Eusebius hoc de suo mihi  
largiatur ex lib. 6. de præparat. Evangelica cap. 5. *Si evenitura omnino  
sunt prospera vel adversa unicuiq; homini, estq; necesse, has me agere, & te illis,  
quid oportet curâ laboreq; confui?*

XLII.

Proinde rectè quidem fecit Bellarminus, quod commentum  
Calvini crassissimum refutavit lib. 4. de grat. & libero arbitr. cap. 11:  
in eo verò nimis indulgit affectibus, quod Lutherum quoq; ejus-  
dem erroris fecit socium cap. 5. ejusdem libri, ubi inter cætera  
suggillat, quod Lutherus scripsit, *omnia fieri necessariò, & liberum ar-  
bitrium esse figmentum sine re.*

XLIII.

Nos verò, etsi non negamus, Lutherum scripsisse, *omnia fieri  
necessariò*, non tamen scripsit hoc in 36. articuli assertionem, sed in li-  
bro contra Erasmus; neq; etiam Wiclephi errorem in eodem  
articulo approbavit, ut Bellarminus objicit: neq; directè de reb.  
civil. sed potissimum de spiritualibus egit, concernentibus salutis  
nostræ prædestinationem.

XLIV.

Nequaquam autem intellexit necessitatem illam Stoicam,  
quæ nullam cessationem & impedimentum admittit, quæ contin-  
gentiam omnem, deliberationem omnem de rebus, libertatem  
omnem voluntatis humanæ, etiam in rebus externis, planè tollit;  
sed respexit ad generalem illam Dei gubernationem, quæ causa  
est omnium, & quæ libertatis nostræ sunt, & quæ natura sunt, ut  
Eusebius loquitur lib. 6. de præparat. Evangelica cap. 5.

XLV.

Illæ verò generatis Dei gubernatio non evertit ordinem in-  
natura

*De phrasè  
omnia sunt  
necessariò.*

*Vide Luthe-  
rum ipsum  
rom. 3. lat.  
Ien. fol. 105.  
& 171. & 6.*

natura conditum. Etsi enim homo, dum liberè eligit & agit, simul à Deo movetur ac sustentatur, non tamen specialiter impellitur, ut determinatè sic velit & agat: inde demum sequeretur, omnia fieri necessariò necessitate Stoica: sed opera determinationem habent à voluntate hominis, tanquam proximi agentis.

XLVI.

Quo sensu pulcrè scripsit Anselmus: *Facit Deus omnia, que iusta & iniusta voluntate fiunt, id est, opera bona & mala. In bonis quidem facit quod sunt, & quod bona sunt: in malis facit, quod sunt, sed non, quod mala sunt.*

XLVII.

Deus enim universale quidem atq; primum principium est interioris motus humani: sed quod voluntas humana determinatur ad malum, hoc directè est ex voluntate humanà, & à diabolo, per modum persuadentis & appetibilia proponentis.

XLVIII.

Essè hanc mentem B. Lutheri, ipse non obscurè ostendit in eodemlib. de servo arbitrio, contra Erasmus, tom. 3. lat. Jen. ex quo pauca huc referre placet, ut appareat, Luthero nostro cum necessitate Stoica & Calviniana planè nihil esse commercii.

XLIX.

Qualem enim intelligat necessitatem, declarat fol. 165. b. *Necessitas inquit, non rectè dicitur, neq; de divina neq; de humana voluntate: quia quandam velut coactionem, & omnino id, quod contrarium est voluntati, ingerit intellectui, cum tamen hoc non velit causa ista, que agitur. Voluntas enim sive divina sive humana, nulla coactione, sed mera lubentia vel cupiditate quasi verè libera, facit quod facit, sive bonum, sive malum.*

L.

Et paulò post: *Quod non prestat vox, impleat intellectus legentis necessitatem, intelligens id quod dicere velles, immutabilem voluntatem Dei, & omnipotentiam voluntatis nostræ male, ut aliqui dixerunt, necessitatem immutabilitatis.*

LI.

Idem ferè reperit fol. 171. b. *Necessariò dico, non coactè, sed ut illi dicunt, necessitate immutabilitatis, non coactionis: hoc est, homo cum vacat Spiritu Dei, non quidem violentia, vel ut raptus obrorto collo, nolens facit malum, quemamodam sicut latro nolens ad penam ducitur, sed spontè & libere.*

libenti voluntate facit: verum hanc libentiam seu voluntatem facienti non potest suis viribus omittere, &c.

LII.

Deinde necessitatem actionis divinæ in rebus humanis differt ad generalem illam Dei actionem refert, qua pro sua omnipotentia movet & gubernat hominum potentias naturales, ita tamen, ut ipsos liberè agere sinat.

LIII.

Sic enim scribit fol. 199. a. *Quando Deus omnia in omnibus movet & agit, necessariò movet etiam & agit in Satana & impio. Agit autem in illis taliter, quales illi sunt, & quales invenit, hoc est, cum illi sint averfi & mali, & rapiantur motu illo divina omnipotentia, non nisi averfa & mala faciant.*

LIV.

Et paulò post: *Omnipotentia Dei facit, ut impius non possit motum & actionem Dei evadere, sed necessariò illi subjectus parer. Corruptio verò seu averfio sui à Deo, facit, ut bene moveri & rapi non possit. Deus suam omnipotentiam non potest omittere, propter illius aversionem, impius verò suam aversionem non potest mutare. Ita fit, ut perpetuò & necessariò peccet & erret, donec Spiritu Dei corrigatur, &c. Hæc Lutherus.*

LV.

*Liberum arbitrium est nihil.*

Hujus divinæ providentiæ & generalis gubernationis respectu scripsit etiam, *liberum arbitrium nihil esse.* Regit enim Deus omnia (sed non cogit) etiam libertatem nostram: Nihil ergò absurdi est in his Lutheri verbis: *Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re: quod rectè dictum est, modò rectè intelligatur.* Nam nemini nostrum est in manu fieri, quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia sub Deo sunt, contra quem nihil possumus, nisi quantum permittit aut facit ipse: quæ verba Lutheri sunt, in assertione art. 36. torn. 2. ten. Germ. fol. 312.

LVI.

In quam sententiam planè scripsit Augustinus in Enchirid. cap. 95. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel finendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Et sic in genere liberum arbitrium omninò providentiæ divinæ subicitur, quòd, qui reprehendere ausit, Deum ipsum homini subicere, vel à rerum omnium gubernaculo deturbare necesse est.

§7. Ex



LVII.

Ex hoc fundamento negare non possumus, quod ne quidem in externis arbitrium omnino liberum sit. Multa enim sunt impedimenta actionum, multi errores in deliberationibus, neq; etiam eventus & successus sunt in nostra potestate: idcirco in his etiam auxilio & gubernatione Dei opus est, qui si non suggerit sana consilia, eaq; promovet, accidit id, quod in Psal. 35, 6. scriptum est: *F. at via illorum tenebra & lubricum*, hoc est, errent in consiliis, & careant operatis successibus. Et hoc est, quod supra th. 17. diximus, libertatem in rebus politicis esse languidam.

LVIII.

Quod si ergo hoc quoq; sensu omnia, etiam in civilibus actionibus, ad Deum referas, liberumq; arbitrium nihil in se esse dicas, non erraveris. Nihil enim est sine Deo suggerente consilia, & gubernante actiones hominum: idcirco non nisi *aliquo modo* libertas voluntati humanae tribuitur. Verissimum enim est, quod in versu dicitur:

*Nullus est felix conatus & utilis unquam,  
Si non consilium detq; juvetq; Deus.*

LIX.

Sed his omissis, sanè si accuratè ponderemus verba Lutheri, is loco allegato non in genere de libero arbitrio loquitur in quibusvis rebus, sed in rebus duntaxat spiritualibus, ubi arbitrium hominis rectè servum appellavit, non liberum, ex Augustino *lib. 2. cont. Iulian. & in lib. de gratia cap. 13. tom. 1. Ien. germ. p. 430. in assert. art. 36.* quia non nisi ad malum est liberum, ad bonum verò præstandum prorsus captivum: qui enim peccatum facit, servus est peccati, Joh. 8, 34.

LX.

In quam sententiam iterum scribit Augustinus *lib. 3. ad Bonifac. cap. 8. Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccandum valet, ad justitiam verò nisi divinitus liberatum adiutumq; non valet.* Nam homo male utens libero arbitrio perdidit & se, & ipsum, ait in *Enchir. ad Laur. cap. 30. cum enim in certamine peccatum vicisset, hominem redegit in servitutem.*

LXI.

Alibi verò, in rebus civilibus Lutherus libero arbitrio suum relinquit exercitium, præsertim in libello de visitatione Saxonica

tom. 4. ten. germ. pag. 345. quod ne quidem Bellarminus diffretur. Desinat igitur convitium facere Luthero, quasi in rebus civilibus vires humani arbitrii negaverit, quod verbis his evidentissimis asserit. Habet homo ex propriis viribus liberam voluntatem facienda opera exercere vel omittendi; impellitur enim minis legis: Potest ergo politice bonus esse ex viribus propriis, divinitus ei concessis, quam Paulus justitiam carnis appellavit, &c.

LXII.

Hæc pro Lutheri defensione hic sufficiant. Quod si quis hinc non contentus urgeat, phrasin Lutheri, omnia sunt necessario, nimis esse duram, & ab orthodoxa Ecclesia patrum rejectam: sciat is, Lutherum cum Augustino proficenter scripsisse, patronis libertatis in cœlestibus se opposuisse, mentem suam alibi clarius exposuisse, & deinceps cautius locutum fuisse.

LXIII.

*Pelagiani &  
Pontificii.*

In altero agmine Adversariorum sunt Pelagiani & Semipelagiani in Papatu: qui docent, habere hominem naturalem ejusmodi vim ad incoandos & efficiendos spirituales motus ad conversionem necessarios, quæ cum peccatis sit implicata, gratia Dei nihil aliud faciat, quam quod laqueos illos explicet, & naturam in se pronam ad bonum excitatiorem reddat, & ubi non sufficit, ibi novos qualitates sive habitus infundat.

LXIV.

Hinc sunt illa Scholasticorum emblemata: posse hominem ad gratiam gratum facientem ex solo libero arbitrio se præparare: posse hominem ex suis naturalibus diligere Deum, & ut concilium Trident. loquitur *sess. 6. cap. 7.* posse hominem eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponi.

LXV.

Etiamsi itaq; Bellarminus multis probare velle videatur, non posse voluntatem humanam aliquid velle in iis, quæ ad pietatem & salutem pertinent, sine auxilio gratiæ Dei, & non posse hominem solis naturæ viribus ad gratiam recipendam ullo modo se præparare *lib. 6. de grat. & lib. arbitrii. cap. 2. & 5.* tamen nihil aliud, quam verba dat sine re, Nam in rei veritate naturæ humanæ ejusmodi vires largitur, quæ in efficienda conversione nostra antecedunt gratiam; gratiam autem Dei alio respectu non admittit, quam

quàm ut vires attenuatas excitet ac confirmet: & hoc ipsi est, nihil posse, sine auxilio gratiæ Dei.

LXVI.

Ideo enim probat lib. 6. de grat. & lib. arbit. cap. 10. & seqq. habere hominem libertatem arbitrii in operibus pietatis, & c. 11. in specie scribit: liberum arbitrium in actione credendi & diligendi attenuatum quidem esse, non tamen extinctum: ac per hoc operari posse opera pietatis, si adjuvetur à gratia.

LXVII.

Ibidem, ex Concilio Toletano I V. comparat libertatem hominis ad peccandum ante lapsum, libertati hominis ad conversionem & fidem. Et cap. 15. ejusdem libri, ubi compendium facit suæ doctrinæ de cooperatione gratiæ & liberi arbitrii, expressè scribit: Habet homo ante omnem gratiam, potentiam remotam & imperfectam ad opera pietatis faciendâ: & hanc potentiam in hominis conversione, à gratiâ Dei excitari, non tamen sine ipsius hominis actione, &c.

LXVIII.

Ibidem rem explicat simili de potentia videndi. Nam (inquit) absente specie visibili habet homo potentiam & libertatem videndi. Non enim ea species est causa libertatis aut potentie videndi, tamen potentia remota est, & libertas ligata, donec acceptâ specie potentia perficiatur & in actum prodire possit.

LXIX.

Alii alias adhibent similitudines, de homine ferreis soleis devincto, de avicula ligatâ; de ægroto, cujus vires morbo fractæ, de homine in foveam lapsò, de lumine eccliplato, &c. Quibus omnibus hoc probant, quod liberum arbitrium in homine sit primaria causa conversionis, Deus autem alio modo non concurrat, quàm ut removens prohibens: quemadmodum is non facit volare aviculam, qui vincula solvit, nec medicus vires largitur propriè ægroto, dum morbum tollit, quo vires naturales impediabantur.

LXX.

Hæc omnia quàm falsissima esse, patet ex iis, quæ supra & 9. & de aduvaria repugnantiaq; hominis non conversi diximus. Qualis enim sit potentia ad opera pietatis faciendâ, in eo, cujus mens est mære tenebræ, qui ex seipso nihil boni cogitare potest.

C

qui

qui sine Christo nihil facere potest, cui cor durum, lapideum, frons ænea, nervus ferreus, quin & inimicitia ad versus Deum tribuitur, quemadmodum ex dictis supra allegatis constat?

LXXI.

Quid, quod gratia Dei illam in homine potentiam plane non agnoscit? Non enim ita convertit hominem, ut potentiam illam remotam & extenuatam exciret, roboret, confirmet, & sic ex ligato saltem faciat solutum: sed renovat, regenerat, cor durum & lapideum aufert, ex vano intelligentem, ex mortuo vivum facit: in quo opere gratia nihil invenit in homine, quod ei cooperari possit: quin potius, ut Augustinus loquitur, *gratia Dei non est gratia ullo modo, si non est gratis a omni modo, in Enchir. cap. 107. & lib. de grat. Christi cap. 31.*

LXXII.

Hoc ergo pacto alteri quoque agmini Adversariorum ex Scriptura resistimus: sed, quemadmodum Bellarminus B. Lutherum nostrum Stoicis adungere non erubuit, ita non desunt, qui piam nostram doctrinam Pelagianismi satis impudenter acculant, eò quod statuimus, posse hominem ex naturalibus suis viribus audire, & quidem cum studio & desiderio audire verbum, quemadmodum supra dictis & exemplis Scripturæ probavimus.

LXXIII.

Hofmannus &  
Tossanus.

Ita enim Censor quidam scripsit in Apologia sua ad ministerium Hallense, anno 1597. contra B. Hunnium nostrum: *Itane audire & discere facultas est naturalis? Quid vobis videtur? itane audire & discere à Patre, hominis non renati POSS E ST?*

LXXIV.

Et cum verba aliqua ex disputatione D. Hunnii citasset: hæc nimirum: *Quare, qui Verbum Dei audiunt cognoscendi, & ut Christus loquitur, & fidei studio, obsecutus illi spirarum & medio submotis, Hos vult irabere Patet, in q̄ largiri fidem, &c. Ipse suam addit dicitur, hunc in modum: Hic ego aliter cogitare non possum, quam quod D. Hunnii primum in homine peccatorem dispositionem querat, eamq; non solum in disciplina externa, sed in mente, voluntate & cor de homini describat, ut a vi brino ex seipso affertur studium cognoscendi, & discendi, libenter audiendi, recipiendi verbum, &c. Similia hæc de Strinæ D. Hunnii cum aperta mentione Pelagianismi à Tossano Calv. nulla fuisse objecta, notum est.*

75. Sed

Sed B. noster Hunnius peculiari scripto adversus istam Cen-  
 foris Apologiam anno 1597. omnem Pelagianismi suspicionem à  
 se gravissimè removit: ubi non renatis non tribuit ipsum *Discere*,  
 sed *studium discendi*, quod scriptura vocat *Currere, & Audire*, ex  
 quo ipsa perceptio mysteriorum Dei nunquam sequeretur, nisi  
 gratia Spiritus sancti accederet, qui per auditum vèrbi cor movet  
 ac illuminat. Nam ut B. Hunnii verba habent: *Vt homo non solum*  
*audiat, sed & cum ASSENSV QVODAM audiat, hoc non naturalibus viri-*  
*bus congruit, sed operanti Deo.* Plura vide in eodem scripto pag. 44. 45.  
 seqq.

Tribuitur ergo non Converfis non internum illud Velle,  
 quod est, assentiri Dei verbo, discere verbum, credere, &c. hæc  
 enim simpliciter speciali operationi Spiritus S. conveniunt, sed  
 externam velle seu pædagogia illa externa, quæ in auditu ac desi-  
 derio verbi consistit, licet assensus nullus accedat.

Et huic externo auditui nullum tribuitur meritum vel dispo-  
 sitio ad gratiam, *partim*, quia Deus etiam audientes gratia sua præ-  
 venit, dum verbum eis largitur, *partim* quia Deus audientibus ver-  
 bum fidem gratuito promittit, *partim* quia homines sibi relictæ ver-  
 bum auditum vident & contemnunt, nisi singulari Spiritus Sancti  
 gratia regantur: idcirco à Deo doctos & ductos esse oportet, qui  
 ad Patrem venire cupiunt *Esa. 54. 13. Iob. 6. 45.*

Sed est auditus ille duntaxat medium, per quod spinæ volu-  
 pratum & impedimenta alia conversionis, remonentur, & opera-  
 tio Spiritus Sancti, quæ non-converso aliàs exosa est, gratior acce-  
 ptiorq; redditur.

Verùm de homine ante conversionem considerato jam satis  
 superq; dictum est, pro instituti nostri ratione: nunc quomodo se  
 habeat in ipsa Conversione, paucis dispiciendum est: hic enim arx  
 salutis nostræ panditur, ad quam facilis patebit ingressus, & to-  
 tius negotii planior explicatio, si ea, quæ ad conversionem nostram  
 concurrunt, primùm omnium expendantur. LXXX.

Eorum verò tria sunt: Spiritus Sanctus, Verbum Dei, & vo-  
 luntas

luntas humana: quorum ille causa efficiens; istud instrumentalis;  
hac materia seu subiectum convertendum appellatur.

LXXXI.

Ex numero causarum efficientium excluditur simpliciter,  
quidquid est in homine ex propriis naturæ viribus; siquidem ex  
præcedentibus constat, hominem in spiritualibus prorsus esse  
mortuum, in quo ne modiculum quidem aut perpusillum est reli-  
quum, quod se vel ad gratiam flectere, vel conversionem efficere,  
operari aut cooperari possit.

LXXXII.

Manet autem in hoc salutari actu causa efficiens solus Spiritus  
Sanctus, sive Deus, cui conversionis nostræ initium, medium  
ac finis in solidum fertur acceptus. Ipse enim operatur in nobis &  
velle & perficere *Phil. 2, 13*, dat nobis poenitentiam ad agnoscen-  
dam veritatem 2 *Tim. 2, 25*, donat fidem *Phil. 1, 29*, *Eph. 2, 8*, quin-  
& omnem sufficientiam 2 *Cor. 3, 5*, quam ob causam Sancti à solo  
Deo conversionem petunt *Ier. 31, 8*, *Thren. cap. 5, 21*.

LXXXIII.

Hoc suum opus operatur Deus in nobis non per Enthusias-  
mos aut violentos raptus, sed per verbum lectum, auditum, &  
meditationibus piis excultum; quod proinde causa organica con-  
versionis nostræ haud immeritò nominatur, & semen incorru-  
ptibile vocatur, per quod renascimur *I. Petr. 1*.

LXXXIV.

Verbum hoc constat Legè & Evangelio. Ex lege est agnitio  
peccati *Rom. 3*, conterit illa & contundit corda ferrea & lapidea;  
est enim instar mallei conterentis petram *Ierem. 23, 29*, ostendit  
naturam mortiferam, & interiora cordis accusat, Evangelium  
autem medicinam adfert contritis conscientiis; solatur territas,  
erigit afflictas: unde sequitur aversio à malo, conversio ad bonum.

LXXXV.

A verbo nequaquam separantur sacramenta: sunt enim ver-  
bi prædicati sigilla: per quæ conversio hominis ad Deum vel effi-  
citur in infantibus, ut in Baptismo, qui propterea sacramentum re-  
generationis appellatur *Tit. 3, 5*, vel confirmatur in adultis, ut in S.  
Cœna, quam inter cætera propter confirmationem fidei institu-  
tam esse, constat.

86. Unde

## LXXXVI.

Unde legimus in historia sacra, eos qui vel ex gentilitate vel Judaismo per verbum Apostolorum fuerant conversi, acturum etiam sacramento initiationis se subiecisse: quemadmodum scriptum est de D. Petro: qui receperunt sermonem ejus, baptisati sunt *Act. 2. 41.* similia exempla leguntur *Act. 8. 36. 10. 47. 16. 15. &c.*

## LXXXVII.

Subiectum convertendum est Mens & Voluntas hominis: quæ in conversione, quò ad substantiam, manent: (siquidem natura, etiam post lapsum, quoad substantiam, manet) sed quia aversa sunt à Deo, extrèmè perditæ & corrupta, idcirco inversione seu conversione opus habent, ut ex insipiente fiat sapiens, ex pravo & corrupto, cor sanum atq; integrum.

## LXXXVIII.

Habet ergo sese homo in sui conversione nec ut operans, nec ut cooperans, sed ut merè patiens, hoc est, qui neq; præparare sese potest ad acquirendam gratiam, quàm diu in statu corruptionis est; neq; adjuvare Dei operationem, sed simpliciter est, ut lutum in manu figuli *Ierem. 23. Roman. 9.* quem Deus gratuita sua virtute per verbum ex statu corruptionis evocat, & transfert in statum gratiæ.

## LXXXIX.

Ex his sine magna difficultate intelligi potest, quomodo conversionis negotium in homine peragatur: id quod paucissimis aphorismis, memoriæ causa, includam.

## XC.

Spiritus sanctus invenit hominem in peccatis mortuum, iræ filium *Ephes. 2.* corde lapideo, *Ezech. 36.* cervice ferrea, fronte ænea *Esa. 48.* aversum à Deo, inimicum Dei *Roman. 8.* pravum super omnia *Ier. 17.* & uno verbo, carnalem, venditum sub peccato *Romanor. 7.*

## XCI.

In ejusmodi carnali homine excitat motus & mutationes aliquas; tollit cæcitatem in mente, reponit intellectum rerum spiritualium: aufert tædium, reponit desiderium boni Spiritualis; & sic facit, ut velimus & possimus intelligere, cogitare,

desiderare, assentiri & accipere, quæ ad salutem nostram faciunt.

XCII.

Hos motus in nobis non habemus ex naturæ viribus, neque enim ulla in nobis est vel remota, vel extenuata potentia volendi, inchoandi aut præstandi salutem & conversionem nostri: sed excitantur à Spiritu Sancto per verbum ab homine lectum, auditum & cogitatum.

XCIII.

Utitur ergo S. S. ministerio verbi; unde ministri vocantur *οὐνοσπογοι* Dei 1. Cor. 3, 5. per quorum ministerium adducuntur homines primum ex lege ad agnitionem peccati, contristantur conscientiæ, luctatur Spiritus cum carne, fides cum diffidentia, timor Domini cum securitate, & fit homo de reconciliatione cum Deo sollicitus.

XCIV.

Istam reconciliationem monstrat in Evangelio, nimirum lectum Christum propitiationem pro totius mundi peccatis 1. Ioh. 2. de quo legere, audire, seriò meditari jubet; idcirco verbum proponit, & doctores iustitiæ dat Ecclesiæ suæ.

XCV.

Per huiusmodi auditum, lectionem atque meditationem Evangelii ostendit agnum illum Dei occisum pro peccatis mundi, dat fidem in ipsum, qua corda hominum in tentationibus eriguntur.

XCVI.

Ex fide sequitur nova obedientia, hoc est, novi motus dilectionis Dei atque proximi, accensi partim directè per dictamen legis moralis, partim etiam indirectè, per doctrinam Evangelii, quæ novam obedientiam requirit, consequenter ex his, de quibus propriè concionatur, hoc est, ex dilectione Dei, redemptione filii, sanctificatione Spiritus sancti.

XCVII.

Nam quemadmodum Lex est pædagogus ad Christum Gal. 3, 24. ita Evangelium pædagogus est ad legem, juxta illud Tir. 2, 11. 12. apparuit gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus (hæc erat doctrina Evangelii) *παιδεύσασθαι η̅ς*, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, justè & piè vivamus in hoc seculo.

98. Utrum.



XCVIII.

Utrumq; fit per indirectum. Lex enim Christum monstrat, dum infirmatur per carnem, Rom. 8. & ex se salutem præstare nequit: hominem ergo à se remittit ad alium, qui legis est impletio Rom. 10. Euangelium verò in se & directè de nova obedientia non concionatur, remittit autem hominem ad legem, ubi opera monstrantur, quæ renatos decent, & in quibus fides eorum exercetur.

CXIX.

His ergo adminiculis hosce novos motus operatur Spiritus Sanctus in homine convertendo, & quidem pro liberrima sua voluntate, in quibusdam motu (ut ita dicam) violento atq; subitaneo, que nammodum in conversione Pauli factum est: in aliis verò & quidem frequentius, lentè & successivè; ubi requiritur tempus, quo excitetur noticia & cogitatio de Lege & Euangelio, excutitur securitas, expellatur dissidentia, vincatur caro, exuatur verus homo, & induatur novus, qui ex Deo conditus est in sinceritate veritatis.

C.

Cum ergo dicimus, Hominem in Conversione sui habere se merè passivè, nequaquam hoc volumus, quasi in hoc actu plane sit otiosus, & hæc actio feratur in ipsum, tanquam in lapidem aut truncum, neque etiam, ut in invitum & coactum; Deus enim cultores (quales in conversione facit) habere vult spontaneos, Psal. 110.

Ci.

Sed passivè se habet respectu adventantis gratiæ, quia ipse nihil facit ex se ad fidem & conversionem sui, sed operationem Spiritus Sancti recipit. Interim habet & mala & bona, quæ in hæc divina operatione & ipse agere potest. Mala sunt, quod resistere potest operanti Spiritui Sancto, quem foris pulsantem non admittit, sed pellere, & consilium Dei de sua conversione adversus semetipsum contemnere potest. Bona sunt, quod locomotivam gubernare, templum ingredi, verbum audire potest; de quibus supra.

Cii.

Non ergò Spiritus Sanctus convertit invitum, sed nolentem

& naturā suā repugnantem reddit volentem, & usq; voluntati in-  
generat per verbum desiderium Dei & salutis aeternae, hominemq;  
totum magis magisq; eo flebit, ut audito verbo assentiatur, & re-  
gimen Spiritus Sancti admittat.

CIII.

Hinc etiam facile judicare possumus, qui fiat, quod aliqui  
planè non convertantur. Culpa non in Deo est, qui verbum nemi-  
ni denegavit, ex absoluto aliquo decreto aut malevolentia; idcir-  
co etiam eos ad se vocat, qui nunquam veniunt, & ad conversio-  
nem invitat, qui non convertuntur, sed vocanti Deo contradicunt  
*Esa. 65, 2. Proverb. 1, 24.*

CIV.

Neq; culpa est in facultate hominum, quasi ad gratiam se  
applicare possint, sed nolint: verum in contemptu verbi & medio-  
rum aeternae salutis, sine quibus ordinariā ratione converti neque-  
unt. Non enim sufficit, quod verbum praedicatur & in eo gratia  
omnibus offertur: oportet & auditum accedere, per quem Deus  
fidem largitur *Rom. 10. Qui verò hoc medium negligunt, hi opera-  
tionem Spiritus sancti impediunt, & conversionem suam inter-  
vertunt.*

CV.

Sic, quod aliqui citius, aliqui tardius convertuntur, itidem  
culpa neq; in Deo est, neq; in libertate virium humanarum, licet  
in utroq; causam ponat Bellarm. *lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 13.* sed  
*partim* in naturali servitute peccati, cui aliqui profundius immersi  
sunt, *partim* in externā illa paedagogia, quae homini post lapsum ad-  
huc est relicta, quae facit, quod homines circa auditum verbi non  
omnes aequè sint comparati.

CVI.

Aliqui enim libenter & cum desiderio verbum audiunt, ideo  
& facilius convertuntur, quàm ceteri. Etsi enim ipsorum neq; cur-  
rere neq; velle conversionem efficit, sed in solidum hoc gratiae  
Dei adscribendum est: dubium tamen non est, quin Deus ex me-  
ra bonitate, & labori praedicantis, & studio auscultantis divinitus  
benedicat, & per hoc medium fidem ac salutem in homine opere-  
tur; sicuti promissit *Esa. 55, 11.*

CVII.

Alii verò cum tædio audiente verbum; aut cum errore præconcepto, qui una concione non statim eradicatur ex animo; aut pleni curis & desideriis hujus seculi, sub quibus, tanquam sub spinis semen verbi divini suffocatur: quibus omnibus operatio Spiritus Sancti impeditur, ut tam facile, ac in aliis, salutarem suum effectum consequi non possit, &c.

CVIII.

Contra hanc *œthodoziam* de conversione hominis duo sunt *Antithesis* seu Adversariorum agmina; unum ex parte Synergitarum; alterum doctrina erronea ex parte Swenckfeldianorum; & hoc in genere complicum Calvianorum, quorum errores paucis attingemus.

CIX.

Synergitarum error erat, quod homo non quidem initium conversionis facere possit, sed quando, Spiritus Sanctus initium fecit per prædicationem verbi, quâ vocatur ad gratiam, tunc hominem è libertate virium suarum Deo occurrere, gratiam ejus antevertere, ad eam se præparare, conversionem adjuvare, & in continuatione ejus propriis viribus Spiritui Sancto cooperari posse. Hinc tres causas *efficientes*, & ut nonnulli vocabant, *cooperantes* conversionis statuebant, Spiritum Sanctum, Verbum, & Voluntatem hominis.

CX.

Sed sponte sua concidit error ex iis, quæ jam de conversione hominis diximus: ubi omnis omninò vis, etiam minima, adempta fuit homini. Voluit enim Deus hanc laudem sibi unicè relictam, quod ex mortuis faciat viventes, ex impiis justos: quantum hic humanæ attribuitur facultati, tantum gloriæ divinæ decedit. Idcirco Augustinus benè scripsit in Enchirid. cap. 31. *Totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam & adjuvat præparatam. Nolentem prævenit, ut velit: volentem subsequitur, ne frustra velit.*

CXI.

Eò magis etiam ab hoc errore alieni esse debemus, quod Pontificii iisdem ferè verbis conversionis opus inter Deum & homines partiuntur, Ita enim habet Concil. Tridentin, *sess. 6, cap. 5.*

D

ipsius

Ipsius iustificationis exordium in adultis à Deo per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum est, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averti erant, per eius excitantem atq; adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratia liberè assentiendo & cooperando disponantur, ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neq; homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe, qui illam allicere potest, neq; tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo liberà suà voluntate possit.

### CXII.

Neq; verò est, quod objiciant nobis ea Scripturæ dicta, quæ conversionem ab ipso homine requirunt, ut *Zach. 1. 2.* convertimini ad me *2. Cor. 7.* mundemus nos ipsos *2. Tim. 2.* Si quis expurgaverit seipsum, erit vas in honorem sanctificatum, &c.

### CXIII.

Nam illa dicta loquuntur vel de jam conversis, qui hanc potestatem habent à Deo, ut se à reliquiis peccati emundent, & quotidianam poenitentiam ad Deum se convertant: vel sunt præcepta, quæ nullam virium nostrarum *σωτηρίας* in conversione inferunt; sed ostendunt saltem, quanta imperfectione homo laboret, jam post lapsum, & à quo id, quod nobis deest, petere debeamus, juxta illud Augustini, *lib. de grat. & lib. arbit. cap. 16.* Ideo jubet Deus aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab ipso petere debeamus.

### CXIV.

Porro Swenckfeldiani & Calviniani nobis ideo hoc in genere sunt adversi, quia verbo prædicato suam adimunt efficaciam, illudq; in conversione hominis ferè faciunt *αἰετοῦ*, fingentes, Spiritum Sanctum etiam absq; verbo ordinariè fidem, conversionem & salutem in homine operari.

### CXV.

Ita enim scribit Swenckfeldius in volumine Epistolari parte. 1. epist. 90. fol. 764. Duplex est verbum: internum & externum: verbum internum est filius Dei operans in nobis fidem & salutem: verbum externum, est littera, sonus, vox & concitio humana, in qua nulla est Dei virtus inclusa, vel

vel ad illam alligata, & quæ non potest ad cor hominis pertingere, neque me-  
dium est salutis.

CXVI.

Huic succenturiatus est Theodorus Beza, qui *part. 2. Resp. ad Acta Collog. Mompelg. p. 116.* ita philosophatur: Loquuntur, docent, ex-  
hortantur, redarguunt, consolantur ministri verbi, & ideo merentur instru-  
mentorum *συνεργῶν* appellationem, atq; adeo dicitur Deus illis *συνεργῶν*,  
sed ita, ut ministri verbi & sacramentorum suas habeant actio-  
nes distinctas proprias, NEC VLLO MODO cum Spiritus Sancti actio-  
ne commiscendas, &c.

CXVII.

De Sacramentis idem Beza *pag. 115.* ejusdem scripti idem  
docet. Non enim patitur ea esse instrumenta, per quæ Spiritus  
Sanctus Fidem & Salutem in nobis operetur: sed palpabilem errorem  
vocat, ex lacunis scholasticorum haustum, quando principalis quidem vis Deo,  
instrumentalis autem Sacramentis tribuitur.

CXVIII.

Quid hoc aliud est, quàm negare, verbum & sacramenta esse  
media & organa conversionis nostræ? & pertingere cor hominis?  
quod olim Swenckfeldius negabat; & hoc ipso conversionem  
fingere planè Enthusiasticam, quam Spiritus Sanctus intrinseca  
virtute, abiq; ullo externo organo in nobis operetur?

CXIX.

Id verò negat universa Scriptura, quæ verbum prædicatum  
vocat sermonem Dei efficacem, penetrabiliorem omni gladio an-  
cipiti, & pertingentem usq; ad divisionem animæ ac Spiritus, &c.  
*Hebr. 4. 12.* ait, nos regenerari per verbum Dei viventis *1. Petr. 1. 23.*  
vocat ministerium *ἡγεμονίαν* Spiritus Sancti *2. Cor. 3. 8.* dicit, per  
prædicationem fidei dari Spiritum Sanctum *Gal. 3. 14.* testatur, au-  
ditores per verbum ministrorum credere *Ioh. 17. 20. 1. Cor. 3. 5.*

CXX.

Ad quæ clarissima Scripturæ dicta nihil aliud respondere  
possunt Adversarii, quàm, quod illa dicantur, habitâ sacræ & divi-  
nitus ordinatæ *ἡγεμονίης* ratione, quod videlicet Dei Spiritus solus

sua vi intus præstet ea, quæ per vocem hominum declarat, & tum verbis tum adjunctis signis visibilibus significat, ut Beza loquitur l. d. p. 117, Et p. 115. dicit: Quod sermo audientes afficit, non arguit ullam vim aliam ipsis, quæ audiuntur, vocibus inesse, quam res illas significandi, de quibus dicuntur.

CXXI.

Quod si quis nondum intelligat, quid Beza velit, clarius expressit Joh. Jacobus Grynæus disp. Heidelberg. thes. 6. ubi ad dictum Pauli ex 2. Cor. 3, 6. de ministerio Spiritus vivificantis ita commentatur: Meminerint autem pii, ministerio externo, ejus cobonestandi ergo, phrasi sacramentali effectum ministerii interni hoc Pauli dicto aliisq; similibus tribui.

CXXII.

Hoc ergo volunt Adversarii: quemadmodum in Sacramento Cœnæ panis non est organon illud, per quod offertur corpus Dominicum verè præsens, sed significatur corporis Domini gratia atq; virtus, quæ etiam absq; panis usu nobis confertur: ita verbum prædicatum non est instrumentum Spiritus Sancti, per quod ordinario modo conversionem & salutem operetur, sed significatur saltem id, & declaratur auribus ac oculis, quod Spiritus S. absque verbo intus in corde hominis efficit.

CXXIII.

Eò nimirum rediit tandem res Sacramentaria, ut nihil verè amplius habeat in Theologia sua, sed significativà omnia: significativum verbum, significativà sacramenta, fortè & significativum Deum, & significativam conversionem ad Deum.

CXXIV.

CAP. III.  
Consideratio  
hominis post  
conversionem.

Transiant ergo ista: nos ad eam progredimur, quæ circa hominem post conversionem suam consideranda sunt, ubi quidem prolixiores non erimus, sed omnia, quæ fuse hic dici possent, paucis Aphorismis complectemur.

CXXV.

Est ergo homo jam conversus verè liber, juxta illud Christi: Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis Ioban. 8. 36. habet enim, & intellectum sanum in rebus divinis, & voluntatem obsequen-

tem.

rem Deo, non secundum vetustatem literæ, sed secundum novitatem Spiritus. Rom. 7. 6.

CXXVI.

Illam autem libertatem à Deo est: idcirco homo post conversionem liber dicitur, quia à Spiritu sancto liberatus, qui mentem ejus liberavit ab ignorantia veri, & cor à repugnantia recti, qui primus & genuinus libertatis nostræ gradus est, asserens nos ab omni maledictione, in qua nati eramus.

CXXVII.

Hinc colligimus, opera hominis conversi, sive ad scientiam, sive ad conscientiam hominis pertineant, esse à Spiritu DEI, & juxta legem ejus conformata; juxta illud Rom. 8. qui ducuntur Spiritu DEI, hi sunt filii DEI & 2. Corinth. 3. ubi Spiritus Domini ibi libertas.

CXXVIII.

Idcirco vocatur libera servitus & serva libertas: libera servitus, quia non coactè, sed spontaneo Spiritu servitur Deo: serva autem libertas, quia non secundum placitum nostrum, sed juxta præscriptum divinum libertas illa instituitur. Quam in sententiam D. Paulus ad Galatas suas scribit: Vos in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carni Galat. 5. 13.

CXXIX.

Est autem Libertas etiam in renatis non undiquaq; perfecta: quia caro nondum plenè est subjugata Spiritui, sed resistit adhuc honestis institutis; unde est perpetua lucta inter carnem & spiritum, quam Paulus describit Gal. 5. 17. & suo proprio monstrat exemplo Rom. 7. 22. & ubi caro impedire non potest honestas actiones, ibi remoratur eas saltem, & languidiores reddit; juxta illud: Lex infirmatur per carnem Rom. 8. 3.

CXXX.

Multum autem differt hæc carnalitas & captivitas ab ea, quæ est in homine non renato. In non renato oritur à peccatis actualibus, quæ faciunt peccati mancipium: in renato est à peccato originali seu fomite illo, qui in renatis est residuus.

D. 3.

Ib.

Ibi vincitur Spiritus; hic luctatur: ibi mortale, hic veniale peccatum est.

CXXXI.

Hinc est, quod etiam Renati Carnales vocantur, quemadmodum Paulus de se scribit *Rom. 7, 14.* quatenus nimirum sentiunt desideria carnis, quibus tamen Spiritu resistunt; quo sensu Corinthii, quantumvis Renati, carnales appellantur, quia secundum hominem ambulabant, & contentionibus intempestivis indulgebant *1. Cor. 3, 3.*

CXXXII.

Hinc insuper est captivitas illa peccati etiam in renatis, sub quo dicuntur venditi *Rom. 7, 14.* quia nimirum à peccato non possunt esse liberi in hac vita, cui tamen dominium in mortali suo corpore non permittunt ad obediendum ei *Rom. 6, 12.*

CXXXIII.

Talis ergo homo dum resistit operibus carnis, & facit ea, quæ Dei sunt, vocatur *συνεργός θεῶν* *2. Cor. 6, 1.* cooperatur enim Spiritui Sancto, non tamen ex virtute propria, sed Dei, qui fecit ipsum in Christo novam creaturam *2. Cor. 5, 17.* unde Paulus: *non ego laboravi, sed gratia Dei mecum* *1. Cor. 15, 10.*

CXXXIV.

Idcirco opera jam post conversionem à nobis facta, sive in laboribus vocationis, sive in studio pietatis, dicuntur nostra opera, quia sumus vasa Spiritus Sancti & organa salutaria, in quorum infirmitate Dei virtus efficaciter operatur *2. Cor. 12, 9.*

CXXXV.

Sæpe etiam fit, ut Renati vincantur à carne, & labantur in peccata contra conscientiam, quibus contristatur Spiritus, excutitur fides, & gratia Dei, siq; iterum ex filio gratiæ filius iræ, & vir mortis; & nisi penitentia sequatur, mancipium gehennæ; quemadmodum tristissima exempla Saulis & Judæ testantur *1. Sam. 16. Ioh. 13.*

CXXXVI.

Ex his omnibus colligimus, hominem etiam conversum conversione opus habere. Unde sunt distincta conversionis genera.



nora. Est enim alia *Lapforum*, quando ex iis, qui in peccatis nati sunt, fiunt filii Dei, per verbum & sacramentum regenerationis, de quibus Saluator *Ioh. 3, 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non ingreditur regnum caelorum.*

CXXXVII.

Alia est *stantium* seu Renatorum conversio, hoc est, conversionis primæ continuatio, quæ fit in perpetuâ illâ Luctâ Spiritus cum carne, qua ad iuvante Spiritus Sancti gratia caro subinde vincitur, de qua scribitur *Eph. 2, 23. renovamini Spiritu mentis vestrae, induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, &c. Item, is qui intus est homo de die in diem renovatur 2. Cor. 4, 6.*

CXXXVIII.

Alia deniq; *cadentium* est, hoc est, eorum, qui in peccata contra conscientiam lapsi fidem & Spiritum Sanctum excusserunt, quibus per seriam pœnitentiam reditus ad Deum patet, juxta illud: *Lavamini, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis vestris, & si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, &c. Esa. 1, 16. seqq.*

CXXXIX.

Huic parti sanæ doctrinæ opponunt se i. Antinomi, & qui inter Anabaptistas Libertini appellantur, qui negant, Legem in Ecclesia renatis proponendam esse, quia Renati regantur à Spiritu Sancto, idcirco non sint sub lege, sed suapte sponte absq; impulsu Legis faciant bona opera: contra quos multum disputavit Lutherus *rom. 7. Germ. Ien. fol. 29 1. seqq.*

*Antithesis seu doctrina erronea in hoc capite. Antinomi.*

CXL.

Verum, etiamsi Renati non sint sub lege cogente & maledicente, quo respectu ipsis Lex non est posita, *1. Timi. 1, 9.* non tamen liberi sunt ab obedientia legis; sed debitores appellantur *Rom. cap. 8, 12.* non carni, ut secundum carnem ambulent, sed Spiritui, ut Spiritu facta carnis mortificent.

CXLI.

*Sunt enim (ut Lutherus loquitur in disp. de operibus legis & gratiæ) opera gratiæ, quæ ex fide fiunt, Spiritu Sancto movente & regenerante voluntatem hominis. Neesse tamen est, eam etiam per verbum & signum*

signum externum, hoc est minis & promissionibus adiuvari & excitari. Placuit enim Deo per ministerium verbi & Sacramentorum Spiritum distribui & augeri.

CXLII.

Neq; verò hic ulla est coactio ad bonum: Sed manet illud Apostoli; ubi Spiritus Domini, ibi libertas. 2. *Corinth.* 3, 17. Facit enim Renatus ex naturâ sua renatâ quod bonum est, non opus habet externis actibus ex libero arbitrio elicitis; sed intus impellitur à Spiritu Sancto. Hic verò non per enthufiasmos cum ipso agit, sed per verbum, hoc est, per legem, quæ vocatur doctrina operum *Rom.* 3, 27. Unde est illud *Lutheri in Psalm.* 130. *Oportet piorum etiam exercitia & opera verbo Dei regi: ad hunc usum reliquit Deus legem.*

CXLIII.

*Pontificii,*

Deinde opponunt se hac in parte Pontificii, qui pro perfectione operum bonorum in conversis acriter pugnant, adeò, ut homini non modò perfectam Legis impletionem tribuant, sed & opera insuper, ut ipsi vocant, supererogationis, quæ Deus non mandavit.

CXLIV.

Cui errori opponimus luctam illam inter carnem & Spiritum in renatis residuam, quæ facit, quod pro remissione peccatorum quotidie orant omnes sancti *Psal.* 32, 6. quo ipso imperfectiorem suam fatentur, de qua etiam subinde conqueruntur *Ecl.* 7, 21. *Prov.* 20, 9. *Rom.* 7, 24. Quamdiu enim vivis, ait *Augustinus tract.* 41. *in Iohann.* peccatum necesse est esse in membris tuis. Ubi autem peccatum est, ibi non est perfectio, sed transgressio legis. 1 *Ioh.* 3, 4.

CXLV.

*Calviniani.*

Tertiò adjungunt se Adversariis sanæ doctrinæ Calviniani, qui negant, Renatos penitus excidere posse gratia Dei, amittere fidem & Spiritum Sanctum, quemadmodum *Calvinus in Antid. Concil. Trid. sess. 6. can.* 28. habet, non esse impossibile, propositum peccandi  
cum

cum fide conjungere. Et *Reza part. 2. Resp. ad Acta colloqu. Mompelg.* pag. 79. scribit, in Davide quamvis adultero ac etiam homicida, aliquid Spiritus Sancti & fidei fuisse servatum, quod aliquandiu sopitum, Dominus tandem rursus excitavit, & pag. 81. hoc thema ex professo tractat.

*Similia vide apud Zanchi-um in miscell. & tract. theol. lib. 1. c. 7. lib. 7. fol. 148.*

### CXLVI.

Sed & hic error faciliè refutatur expressis dictis, quæ testantur, in quibusdam fidem esse *ωεγονοιεγν.* qui ad tempus credunt, & tempore tentationis recedunt *Luc. 8. 13.* homicidam non habere vitam in se manentem *1. Ioh. 3. 15.* renatos, si secundum carnem vixerint, morituros *Rom. 8. 13. &c.*

### CXLVII.

Refutatur 2. exemplis: ita enim de Saule scriptum legimus, quod Spiritus Domini recesserit ab eo *1. Sam. 16. 14.* & David actâ pœnitentia orat, ne Deus auferat Spiritum Sanctum à se *Psal. 51. 13.* credebat itaq; auferri eum posse: & de Galatis scriptum est, quod à gratiâ exciderint *Gal. 5. 4.* de aliis, quod naufragium fidei fecerint *1. Tim. cap. 2. 19.* quod à fide desciverint *1. Tim. 4. 1.* quod subversa quorundam fides fuerit *2. Tim. 2. 18.* quin & de seipso scribit Apostolus, laborandum sibi esse, ne reprobus fiat *1. Cor. 9. 28.*

### CXLVIII.

Refutatur 3. gravissimis illis & maximè seriis exhortationibus Apostolorum, quibus cautos nos esse volunt, ne qui se stare existimat, cadat *1. Cor. 10. 12.* ne in vacuum accipiant gratiam Dei *2. Cor. 6. 1.* ne Spiritum Sanctum in se ipsis contristant *Eph. 4. 30.* ut initium substantiæ Christi usq; ad finem firmum retineant *Hebr. 3. 14.* ut teneant quod habent, ne quis coronam auferat, *Apo. 3.* & quæ sunt similia.

### CXLIX.

Deniq; in Adversantium ordine occurrunt Novatiani, veteres hæretici, qui post conversionem lapsis in peccata aditum ad penit-

E

peni-

pœnitentiam planè præcludebant: quia una sit pœnitentia, & post  
lavacrum non posse misericordiam consequi lapsum, Ad quem er-  
rorem in crustandum abutebantur in primis locis ex Epistola ad  
Hebr. cap. 6, 4. & cap. 10, 26. quos tamen non de quibusvis delin-  
quentibus, sed de peccantibus in Spiritum Sanctum agere constare:  
quorum peccatum certâ ratione irremissibile dicitur. *Matth. 12, 32.*

CL.

Sed ut Epiphaniî verbis hæc. 59. respondeamus: *Et ipsi dicimus,*  
*unam esse pœnitentiam, & per lavacrum regenerationis huius fieri salutem:*  
*verum non tollimus Dei benignitatem, quâi prædicationis veritatis & misere-*  
*ricordiæ Domini, & naturæ veniæ dignæ; & scientes animæ instabilitatem,*  
*carnis debilitatem, sensum humorum profunditatem. Quoniam nemo sine*  
*peccato est purus à sordè, etiam si non sit dies vitæ ejus in terrâ. Et perfecta qui-*  
*dem pœnitentia in lavacro est: si vero quis lapsus est, hunc non perdit sancta*  
*Dei Ecclesia, dat enim & reversionem, & post pœnitentiam, pœnitentiam, &c.*

CLI.

Opponimus insuper huic errori exempla eorum, qui in gra-  
vissima scelera lapsi, pœnitentiam egerunt, & veniam impetra-  
runt: talis fuit David adulter & homicidâ; Petrus abnegator  
Christi, Paulus persecutor, Maria Magdalena scortatrix, latro in  
cruce, Zachæus fur, discipuli Christi, perduelles & ambitiosi: qui-  
bus omnibus janua salutis æternæ per pœnitentiâ patuit.

CLII.

Reçtè itaq; Chrysostomus homil. 1. in Psal. 51. *Si fortè peccas-*  
*veris, ne desperes, sedurras ilico ad surgendum, ne dicas apud semetipsum:*  
*va mibi, va mibi, perii, incechatus sum, fornicatus sum, homicidium perpetravi.*  
*Ne desperes: habes enim salutem propositam, remedium delictorum.*

CLIII.

Et homil. 2. *Nolo mibi dicas, blasphemus sum, nolo dicas, persecutor*  
*sum, immundus sum. Habes omnium ostensiones, in quam valerè portum*

confugito. Vis in novum, vis in veterem? in veteri David, in novo Paulus.  
Nolo excusationes tibi afferas, nolo ignaviam tuam tibi prætendas: peccasti, poenitere: milles peccasti, milles poenitere.

CLIV.

Hæc est illa consideratio hominis Ante, In & Post conversionem suam, ὡς ἐν τῷ πῶ instituta. Cætera disputationis actui reservantur. Quod restat, Deus, qui facit ex mortuis viventes, sanam doctrinam in animis nostris obfignet, in ea magis magisque nos confirmet; erroribus autem & eorum patronis potenter resistat, sanabiles convertat, & nobis omnibus quotidie cor contritum, fidem veram, perseverantiam in bono, & tandem vitam æternam, propter Christum Filium suum, clementer largiatur,  
Amen.



Handwritten text at the top of the page, appearing to be a title or header, possibly starting with "In nomine Domini Amen".

VIIO

Main body of handwritten text, likely a Latin document or letter, starting with "In nomine Domini Amen".









94.A 7578

ULB Halle 3  
002 715 147




f

sb.

1077

Oct 1999







Farbkarte #13

B.I.G.

45

DISPUTATIO PUBLICA  
De  
CONVERSIONE HO-  
MINIS AD DEUM,

*De cuius thesibus, adjuvante Spiritus Sancti  
gratiâ, in inçlyta Academia VVIT-  
TEBERGENSI,*  
SUB PRÆSIDIO

FRIDERICI BALDUINI,  
S. Theol. Doctoris, ac Professoris, Pastro-  
ris ibidem & Superintendentis,  
*Pro Licentiâ consequendi gradum Doctoratus,  
Respondebit*

M. NICOLAUS HUNNIUS  
Marpurgensis, *Ægidii Hunnii* p. m. filius,  
Ecclesiæ Eilebergensis Pastor &  
Superintendentens.!

*Addiem 3. & 4. Septemb. horis usitatis.*

VVITTEBERG Æ,

Ex officina Iohan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.